I. N. SS. T.

DECRETO, JUSSU ET AUTORITATE GRATIOSISSIMI SENATUS ASCLEPIADEI, IN ILLUSTRI, QUOD EST AD SALAM, LYCEO,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI ATQUE EXPERIENTISSIMI

DN. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

MED. D. CELEBERRIMI, THEORETIC. P.P. MERITISSIMI,

DN. PRÆCEPTORIS, PROMOTORIS, PATRONI ET HOSPITIS ÆTERNUM VENERANDI,

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

DE

DIARRHOEA,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA AC PRIVILEGIA LEGITIME OBTINENDI,

publicè exponit

AUGUSTUS MICHAEL Dörmer/

ERFFURTO-THURINGUS.

Ad diem Novembris M. DC. LXXIII.

In Auditorio Majori,

Horis ſolitis, ante-& poſt meridianis.

JENÆ,

TYPIS SAMUELIS KREBSII.

IN NOMINE SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

PRÆLOQUIUM.

QUi benè ingerit, digerit, & egerit, ſanus
ſt. Natura plures quaſi canales,& ciſternas
ducendis excrementis corporis extruxit, ha-
um una vel altera ſi læ datur, obſtruatur, vel
imis proſiliat, morbi fiunt. Ita ſi bilis legitimè
on evacuetur, fit icterus ; ſi humor pancreaticus non fluat,
nt febres, tumores & alia ; alvi ſegnities, teſte *Hippocrate*,
mnia confundit, calorem,deliria,tormina inducit; ſuppreſ-
o hæmorrhoidum, cachexiam ; menſium, eandem & palpi-
tionem cordis; ſeminis, gonorrhœam, vel melancholiam;
doris,febres; urinæ hydropem &c. producunt.

Sin exceſſu peccetur, eadem & plura mala alia inferri ſo-
nt. Exemplo ſint alvi fluxus. Non dicemus de dyſente-
â omnium periculoſiori, non de lienteriâ & cœliacâ diutur-
ori, non de fluxu hepatico magis rebelli, non de rarioribus
iis, unicam in proſcenio ſiſtimus diarrhœam, quæ licet mi-
or videatur, ægros tamen non minùs moleſtat, facilisque
us eſt in reliquas ſpecies tranſitus.

Ut ergò reipublicæ intereſt, & certis extra portam du-
bus eliminari cœnoſam colluviem, & viciſſim non conti-
iis fluentis & ſpurcitie commaculari plateas ; ita & in mi-
ocoſmo exturbanda quidem ſunt ſimeta & quisquiliæ,
ando verò continuò exitum urgent, moderanda ſunt fre-
, & fas eſt motos componere fluctus. Pluribus id expo-
re animus eſt, quod ut fauſtè eveniat, ſupremum faxit nu-
n.

Caput I.
De Definitione Nominali.

ACturi de DIARRHOEA, primò juxta receptam meth-
dum præmittimus ejus explicationem Philologicam
quæ abſolvitur *Paronymiâ, Homonymiâ, & Synonymiâ.*

PARONYMIAM quod attinet, vox Diarrhœa rat-
ne originationis Græca eſt, & ἀπὸ τοῦ διὰ, καὶ ῥέειν *à perfluen-*
derivatur. Variis hujus idiomatis autoribus notat fluxu-
fluentum, meatum; Medicis verò copioſum alvi ſine infla-
matione, exulcerationeque fluxum. Διαῤῥοίη ὀνομάζεται,
Cous, ἕως ἂν αὐτὴ μοῦνη σαπεῖσα ἡ τροφὴ ὑποχωρέει, *Diarrhœa*
minatur, quamdiu ipſum ſolum alimentum putrefactum ſecedit, l.
diæt. c.19. t.13.

Succedit HOMONYMIA, ſeu ambiguitas, ſecundu-
quam Diarrhœa 1. *generaliter* ſumitur, & quodvis profluviu-
ex quâcunque natum ſit materiâ, & undecunque ortum
notat: hæmorrhagias, diabeten, & alia, 2. *ſpecialiter* accipit
pro πᾶσι τῆς κοιλίης ῥύσεσι, *quibusvis alvi & inteſtinorum fluxib*
2. aph.14. qui ut magis & minùs differunt, 3. *ſpecialiſſimè* & p-
priè, pro alvi fluxu ſtercoreo, ſeu pro frequenti & copi-
humorum à ſanguine diverſorum evacuatione, de quâ
tractabimus.

SYNONYMIA non prætereunda. Ab *Hippocr*
& *Galeno* quandoque ῥοώδης nuncupatur, ut patet *ex l.1. ep*
ſ.2. t.66. item ταραχὴ τῆς κοιλίας *perturbatio ventris 1. aph. 2*
paſſim, à *Celſo l.4. c.19. ventris fluxus* nominatur, ab aliis nu-
profluvium ventris, nunc alvi reſolutio, aut alvus fluxa
quida, facilis, modò ventris dejectio aut excretio ſolet nu-
cupari; Gallicè *flux de ventre* audit; Germanis der Bauchfl-
das Durchlauffen / Durchfall.

Caput II.
De Definitione Reali.

PRæmiſſis iis, quæ ad nominis declarationem pertinere
ſa ſunt, ad realem definitionem accedendum ordo mo-
legitimus. DIA-

DIARRHOEA eſt *dejectio frequens, & copioſa, qua ex-*
rementa varia & liquida excernuntur, dependens à facultate expul-
rice irritatâ.

GENUS, ſeu ratio formalis conſiſtit in διαχωρήσει ſeu
ejectione materiæ excrementitiæ, ſtercoreæ, liquidæ frequen-
e, copiosâ, unde niſi εὐκαίρως, καὶ μετ' εὐφορίας, *tempeſtivè, &*
um facili tolerantiâ fiat, referri debet ad ſymptomata in excre-
is. Patet id ex ſtatu ſecundum naturam. Διαχώρημα κοιλίης,
utore *divino ſene, coac. prænot. c.6.t.1. & prænot. c 9.t.8.* βέλτιστον,
αλθακόν, συνεστηκός, ὑπόπυῤῥον, μὴ σφόδρα δυσῶδες, διαχωρέον
ὴν εἰθισμένην ὥρην, πλῆθος δὲ πρὸς λόγον τῶν εἰσιόντων, *alvi egeſtio*
ptima eſt mollis, cohærens & compacta, ſubfulva, non valdè gra-
eolens, prodiens horâ conſuetâ, copiâ reſpondens aſſumptis. Hæ
onditiones mutantur in diarrhœâ. Dejectio enim in eâ ob-
ervatur à naturali diverſa, ut alia non recenſeamus, *numero*,
it enim præter ſolitum frequentior; *mole*, eſt enim copioſior,
roportione & comparatione ad aſſumpta factâ; *conſiſtentiâ*,
ſt enim liquidior & fluidior, cum in naturali ſtatu ſit medio-
ris, in aſtrictâ alvo ſolidior.

Omnia itaque illa dicuntur in definitione, reſpectu na-
uralis alvi fluxus, idque in eodem individuo. Notum enim
ſt, in aliis θᾶττον ὑπέρχεσθαι τὰ διαχωρούμενα, *citius feſtinare*
d exitum excernenda, in aliis tardius, argumento 2. *aph.29.* hinc
collectivè eadem ſumi & accipi debent.

Confirmat id ipſum *Galenus l. 1. epid. com.2. t.36.* ubi diar-
hœâ laborare *ſcribit* τοὺς διαχωροῦντας ἀεί τε καὶ συνεχῶς ὑγρὰ
διαχωρήματα, *dejicientes ſemper & aſſiduè humida excrementa.*
Cum vero nulla alia attributa in definitione poſita ſint, κατ'
ἄρσιν, *per remotionem* eorundem intelligendum eſt, eſſe diar-
hœam ſimplicem excretionem, quantitate, & qualitate pec-
cantem, quo de inferius.

CAPUT III.
De Subjecto.

SUnt quidam autorum, qui *SUBJECTUM* hujus ſymptoma-
tis maximè dubium eſſe volunt, dicentes, non perpetuò,

quænam pars affecta, conſtare,ſed modò ventriculum ipſum, aut inteſtinorum aliquod affici, reliquo corpore benè ſe habente, modò ſalvo inferiori ventre, vel totum corpus, vel certam ejus partem,quò etiam inclinat *Altimarus l.2. c.14.* Vid. *Gal. comm.2. in progn. Hipp. c.3. t.1.*

Ab aliis certum ſubjectum determinatur, & *πρῶτον δεκτικὸν* ſtatuuntur *inteſtina*, quæ partes in inferiori ventre contentæ ſunt, quæque continuato ſuo ductu cibum in ventriculo fermentatum excipiunt, atque ad ſeparationem chyli purioris ab excrementis corpori inutilibus vehunt.

Alii denique, inter quos *Joh. Matth. Gradius*, ſtomacho & inteſtinis ſimul tribuunt hoc ſymptoma, exiſtimantes, Diarrhœam fieri à lubricitate ſtomachi, & inteſtinorum, propter quam chylus tamdiu dictis in locis non moretur, ut poſſit à venis mesaraicis ſugi.

Nos verò in hâc autorum diſſenſione cum recentioribus diſtinctione adhibitâ, ſtatuimus PRINCIPALE & primarium Diarrhœæ SUBJECTUM, INTESTINA, quæ cibum in ventriculo fermentatum, & expreſſum in illa, non ad debitum tempus, donec ſegregatio ritè facta ſit, retinent, ſed juſto citius expellunt.

ADÆQUATUM autem SUBJECTUM VENTRICULUS dici poteſt.

Afficiuntur in diarrhœâ inteſtina, modò per *ἰδιοπάθειαν*, ſeu vitio proprio, ob intemperiei, vel conformationis, aliosque morbos, ſeu vitio materiæ ipſa ſtimulantis, unde onus ſuperfluum, teſtudineo, ſeu periſtaltico ſuarum fibrarum motu, ſe contrahendo, detrudunt deorſum, eoque pacto eliminant excrementitios humores; modò per conſenſum, quod ferè ſæpius fit, cum aliis partibus, quæ *SUBJECTUM CAUSÆ* ideò dicuntur. Conſenſus hic eſt poſitivus, ſeu cum materiæ vitioſæ communicatione, non ſolùm ob viciniam, exemplo meſenterii; ſed & ob officii familiaritatem, exemplo ventriculi, & vaſorum communionem, reſpectu reliquorum viſcerum, pancreatis, hepatis &c.

CA-

Caput IV.
De Cauſa Immediatâ & mediatis proximioribus.

CAUSA hujus ſymptomatis IMMEDIATA in definitione propoſita, eſt *expultrix ſtimulata & irritata.*

Læditur expultrix modò primariò à vitioſis humoribus, omnis generis, modò ſecundario, τῆς καθεκτικῆς δυνάμεως ἀῤῥωστέρας γινομένης, *ipsâ alvi potentiâ retentiva debiliore facta*, teſtante *Pergameno 2. aph. comm. 20.* quod e.g. videre eſt in paralyticis quandoque.

Recentiores hîc teſtudineum, ſive periſtalticum fibrarum motum vitiatum (qualis in imâ parte cochleæ, aut limacis, dum repit, conſpicitur) à pyloro usque in ultimum inteſtinorum gyrum propagatum, adducunt.

Helmontio verò, furor pylori, patrator unicus diarrhœæ dicitur, cum pylorus rector totius œconomiæ ſtomachicæ, usque ad inteſtinum rectum ſit. *l. Pylor. Rector. §. 17.*

Hæ ſententiæ variæ, ſi modò rectè & cum grano ſalis perpendantur, omnes concedi poſſunt, nam in re conveniunt cum noſtrâ, licet non in verbis; & hinc dum vocabulo expultricis utimur, ſciendum, quod loqui poſſimus cum priſcis & ſentire cùm recentioribus, neque enim citra hanc irritationem ulla fit excretio, ſeu criticè id fiat, ſeu ſymptomaticè.

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR, ex quâ ſpecialis hæc irritatio prodit, quoad *eſſentiam* ſpectata, eſt duplex: *vaporoſa* & *humoroſa. Vapores & flatus* διὰ τὴν ἀῤῥωστίαν τῆ θερμῆ *ob caloris debilitatem* reſpectivam adeſſe, & ſimul peccare teſtantur, βορβορυγμοὶ & fluctuationes ſimul ut plurimum conjunctæ, ut & à priori cruditas, inprimis pituitoſa. Humores ſunt tum *utiles*, tum *inutiles*. Prioris generis ſunt ipſi alimentarii humores, ſeu chylus corruptus, alimentum enim in ventriculo corruptum ἐξεθέρμηνε καὶ ἐτάραξε ἂν τὸ σῶμα, καὶ ἐποίησε διαῤῥοίην, *excalfacit, & turbat corpus, facitque diarrhœam*, teſte

Coo

Coo l.3. de diæt. c.19. t. 11. unde à *Paulo Ægineta l.3. c.39.* diarrhœa vocatur διαφθορὰ τῶν σιτίων, *corruptio alimenti.* Sic & ſanguis ipſe quandoque diarrhœam excitat, quando aperto, rupto, vel exeſo vaſe in inteſtina incidit, & longo ſinuoſoque prolapſu ita præſſatur & nigreſcit, ut picem planè referat, & ſub melancholiæ ſimilitudine fallat, teſte *Fernelio l.6. pathol. c. 10. p 599.* Poſterioris generis ſunt humores excrementitii *biliosi, melancholici, pituitoſi, purulenti, aquoſi, ſeroſique,* aliquando etiam mixti, modò crudi, modò coƈti & à naturâ digeſti.

Sylviana ex hypotheſi plerumque oritur diarrhœa à vitioſâ in inteſtinis effervescentiâ, ratione bilis acrioris & ſalinæ.

Helmontius in genere vitium digeſtionis accuſat, in ſpecie fermenti aciditatem pervicacem, pylori & fermenti fellis diſſenſum, hujusque exorbitantiam, chylum acidum corruptum detentum, ſi ejus aliquid mucoſum inteſtino adhæſerit, eleganter modum explicans.

Chimici ex ſuis principiis accuſant ⊖ reſolutum, quod ſuâ acrimoniâ inteſtina quibus affigitur ſtimulat, ipſaque irritat.

Quoad modum eſſendi peccant hi humores, *quantitate, qualitate,* & *motu.*

Quantitate & *copia* excedunt, tum habito reſpeƈtu ad aſſumpta, tum in ſe conſiderati.

Qualitatibus peccant, tùm *primis,* ſi excedunt intemperie, nunc calidâ, nunc frigidâ; tum *ſecundis,* dum modò craſſi, modò viſcidi, nunc tenues, nunc blandi, nunc acrimoniâ, acore aut pravis aliis qualitatibus prædiri. Explicat utrumq; eleganter *Galenus l.3. de nat. facult. c.5.* ubi excretionis inteſtinorum & veſicæ comparationem inſtituens diarrhœis infeſtari τὴν γαστέρα *ventrem ſcribit,* tum ὑπὸ δριμύτητος πολλάκις δηχθεῖσαν, *ſæpè ab acrimonia irritatum,* unde ante legitimum tempus nondum penitùs coƈtum expellit cibum, tum τῷ πλήθει βαρυνθεῖσαν, ἢ καὶ ἄμφω συνελθόντων κακῶς διατεθεῖσαν, *multitudine gravatum, vel utrisq; concurrentibus malè affeƈtum.* Sic bilis excrementitia uti clyſteris cujusdam naturalis munus obtinet, & vim expultricem inteſtinorum ſtimulat, ita multò magis id fit in ſtatu p.n. quando ob multitudinem magis

gis

s irritat ad excretionem, teſte *eodem l. 2. aphor. comm. 21.* par
tio eſt reliquorum humorum, qui ſæpè ὀργασμὸν patiuntur,
primis ſeroſi, & turgendo exitum quæritant. Peccant etiam
pe *qualitate malignâ*, ſeu totâ ſubſtantiâ, ſive quod aſſumpta
it venena, ſeu corrupti humores, ut in morbis malignis.

Motu etiam peccant duplici, *generationis* & *locali*. Motus
nerationis & congeſtionis nonnunquam in ipſis eſt inte-
nis, quorum aliàs quoque munus ordinarium eſt, ut & re-
menta chyli, bilemque ſuperfluam & ſeroſos vitioſosque
mores recipiant, & per continuos orbes ſpirasve elimi-
nt. Non mirum itaque eſt, majorem fieri eorundem ibi,
oco affecto ipſo, συναθροισμὸν καὶ φρέσιν tum ob *facultatem læſam*,
n ob *errorem externam*.

Læditur facultas à morborum triade, quos eleganter diſ-
ſuit *Galen. l. 3. de ſympt. cauſ. c. 2.* ἀτονία ſcil., ſeu *imbecillitas* hæc
1. διὰ δυσκρασίαν *ab intemperie*, omnis generis, calidâ, vel fri-
lâ, maximè verò humidâ; cruditate item acidâ, nidoroſâ, &
uitoſâ *Avicennæ*. 2. ἔνδεια τῆς ἀναδόσεως *ob diſtributionis defe-
n*, ſeu vitio conformationis, obſtructione vaſorum chyli-
orum, laxitate & lubricitate inteſtinorum inducto. 3. διὰ
ιν, ob mordicationem, ſeu ſolutionem continui, tum occul-
, ab acredine contentorum inductam, tum manifeſtam ob
era quandoque.

Error externus obſervatur in aſſumptis & aliis rebus non
uralibus, de quibus inferiùs.

Extra Locum Affectum potiſſimum generantur cau-
norbificæ diarrhœæ Totius Vitio, ſi v. g. adſit plethora,
λῶς *exquiſitè* talis, per accidens aliquid conferre poteſt, ſin
ὠχροθήκης abundet bilioſa, ſeroſa, citiùs ad effectum hunc
currit. Obſervavit *D. D. Præſ.* ordinariè facilioris alvi eſſe
horicos, quia humidiores, unde v. g. à pilulis aloëticis o-
iû faciliſſimè moventur, & tot ſæpè ſedes patiuntur, quot pi-
, quartâ grani parte circiter continentes, fuêre aſſumptæ.

Si *Cacochymia* ſeu abundantia μοχθηρῶν χυμῶν *vitioſorum
orum*, bilioſa, melancholica, vel ſeroſa reſtagnet in corpo-
æpiſſimè excitantur diarrhœæ. Sic in febribus, & fluxu

 alvi

alvi colliquativo totius corporis vitie occurrit; ita à toto ve-
noſo genere ſæpè etiam in optimè ſanis diarrhœa contingit
Partis determinatæ labe idem uſu venit, ita cerebrum hu-
midúm accuſatur 6. *aph.32.* τραυλοὶ ὑπὸ διαῤῥοίης μάλιστα ἀλί-
σκονται, *balbi alvi profluviis maximè capiuntur*; id quod elegante
explicat *Sylvius l.1. prax. c.13. §.14.16 & 17.p.128.* Sic hepar calidiu
per ductum ſæpè cholidochum vitia ſua hùc eructat, ſic ſæp
in culpâ ſunt pancreas & meſenterium, in quod, teſte *Fernel.*
l. 6. pathol. c.10. p.599. ſupervacuum omnem humorem oppreſ
natura ſolet recondere, qui etiam in his ſedibus affirmat
profitetur ſe præter alios morbos diarrhœæ cauſas animad-
vertiſſe.

Præcipuè verò accuſandus venit ventriculus, tum
pars mandans, tum conſentiens, & quatenus ipſius etiam r
tentrix ſimul eſt læſa. Is enim & inteſtina ſunt cauſæ ſoci
quæ ſtant pro unâ, & totâ die experimur, qui debili ſunt ve
triculo, facillimè diarrhœas incurrere, unde non immeri
Pergamenus 6. aph. comment.32. κοιλίας οἰκεῖον πάθημα *propri*
ventriculi paſſionem diarrhœam vocat.

Nec uterus indictus prætereundus, qui conſenſu ſ
fluxum alvinorum quandoque autor exiſtit.

Quoad *modum fluxionis*, fit illa *ὠσεὶ pulſione* à partibus m
tentibus ad recipientia inteſtina, ceu ordinariam cloaca
detruſis humoribus, quæ ob imbecillitatem, connexum
ſitus opportunitatem, præcipuè ſi dolor, calor & inflamn
tio his concurrat, facilè recipiunt. *Viæ* ſunt *vaſa manifeſta*
œſophagus, ductus bilarius, cyſticus & hepaticus in comn
nem coaleſcentes, inteſtinalem dictum, unde cacochymia
lioſa in inteſtinum abit; pancreaticus, uterque evident
ſculo duodeni ſe immittens cavo. Ex hoc poſteriori ca
chymiæ ſeroſæ, modò acri, ſalſo, modò melancholiæ aci
modò pituitæ mucilagine infectæ. Præter hæc & arteri
ſanguiflua vaſa, non quidem immediatè, ſed, mediante m
braneo ſeu glanduloſo tunicarum colo & porulis, ſupp
tant & in inteſtinorum cavitatem de ſe mittunt humores
tioſos, neque enim tantæ copiæ, quæ ſæpè excernitur,

tan

antum canales ſufficiunt. Sed de his latius & acutè differen-
em citamus D. D. *Pechlinum exerc. de purgant. cap.36.per tot.*

Facit huc & διαχώρησις *Hippocratica*, bili & pituitæ inpri-
nis debita. Explicat id elegantiſſimè *Plato in Timæo p.549.* ubi
ſcribit, bilem ſeceſſionem à ſanguine facientem, inferiorem ta-
men redditam, ob robur reliquorum, devinctam aut per to-
tum corpus excidere, aut per venas in ventrem inferiorem,
ſuperioremve compulſam tanquam transfugam ex ſeditioſâ
civitate effugere ex corpore, & diarrhœas aliaque ſymptoma-
ta inducere.

CAPUT V.

De cauſis mediatis remotioribus, ſupernaturalibus & naturalibus.

EX MEDIATIS REMOTIORIBUS CAUSIS, primò ſeſe ſi-
ſtunt SUPERNATURALES. Ita, teſte *Mercato, l.3. de in-
tern. morb. curat. c. 11. p. 284.* memoriæ proditum eſt, in qui-
busdam alvi fluxibus à maleficio oſſicula quædam ſimilia
paſſerculorum oſſibus prodire, quaſi laborans integrum de-
voraſſet paſſerculum, cum graviſſimis doloribus, excerni item
pilos, carbones, lapillos, ungues, teſtarum fragmenta, ole-
um, cœnum, lutum, mellis ſpecimen, aut vini fæcem. Confer
P. Salium nod. ad cap. 7. Altimar.

Inter NATURALES eminet *Temperamentum* to-
tius *frigidum* & *humidum*, interdum etiam *calidum* & *humi-
dum*; ab illo humiditas naturâ ad ventrem redundat, ejus
retentricem facultatem debilitans, ut autor eſt *Galenus loc. cit.*
inquiens: vim retentivam ventriculus habet imbecilliorem
propter humiditatem. Referenda & huc eſt ἰδιοσυγκρασία,
quâ obſervarunt autores ab odore roſæ, à ſolo aſpectu aſſum-
ptorum purgantium & aliis alvum copioſè ſolutam.

Nulla *ætas* exceptione gaudet. Sic *pueris* juxta *3. aph.25.*
πρὸς τὸ ὀδοντοφυεῖν προσάγουσιν διάῤῥοιαι, *ad dentiendi tempus ac-
cedentibus alvi profluvia* accidunt, maximè cum caninos edunt
dentes, & iis præſertim, qui craſſiſſimi ſunt, & qui alvo ſunt
durâ, ſeu ob ſuperfluitatem ſalinam, ut nonnulli volunt, ſive

 ob

ob digeſtionem vitiatam; aliò intentâ naturâ, ſive denique ob turbationem humorum, à dolore procuratam. Sic & ultra primas ætates provectos alvi profluviis diuturnis corripi, aſſeritur *3. aph. 30.* Senibus idem vitium commune eſſe affirmatur *3. aph. 31.* illis præprimis, quibus per juventutem alvus ſicca fuit, argumento *2. aph. 20.*

Sexus fœmineus in diarrhœam magis pronus eſt, *ac maſculinus*, utpote qui naturâ frigidior & humidior eſt.

Hæreditaria denique *diſpoſitio*, uti in aliis morbis, ita quoque hujus mali culpam quandoque ſuſtinet; Pertinet huc περιττὴ τῶν σωμάτων αἴσθησις *nimius corporum ſenſus*, vel à naturâ vel ab exulceratione prægreſsâ.

Caput VI.

De cauſis nonnaturalibus.

NAturales ſequuntur NON-NATURALES, quæ ſuum ἐπιβάλλον μέρος hic præcipuè conferunt.

Aer nimis æſtuans, humores ad fermentationem diſponit, bilioſorumque humorum proventum auget; *humidus* & pluvioſus, ventis auſtrinis, corruptioni anſam præbet, humoresque in corpore movet. *3. aph. 16.* Unde omnibus anni temporibus hoc malum ſolet graſſari; *vere*, quatenus hyems auſtralis & pluvioſa fuit, expectandum; *æſtate* accidit, teſte *Hipp. 3. aph. 21.* unde diebus canicularibus hic fluxus frequens eſſe ſolet, teſte *River. cent. 1. obſ. 33.* *autumno* obſervatur, ob frigus nocturnum, aut matutinum in corpus penetrans, quod ſerum in corpore ob ſuam ἀνωμαλίαν ſeu inæqualitatem movet, tandemque in inteſtinorum cavitatem detrudit; *hyeme* denique, cùm frigida & humida ſit, ideoque alvus, ut in aliis anni temporibus auſtrinis, humectetur.

Aſtralis influxus hic non excludendus eſt, non tamen illi tantum fidendum, quantum ei à nonnullis adſcribitur.

Cibus & potus ſeu aſſumpta potiſſimam diarrhœam inducendi habent poteſtatem, ſi vel immodicâ *quantitate* ingerantur, vel pravâ *qualitate* ſint imbuti, vel *utendi modo & ordine* peccent.

cent. Quò plus aſſumitur cibi & potus, eò plura excrementa dari neceſſe eſt, gravatur inde venter, & imbecilliori redditâ ventriculi coctione, (ita tamen ut ſuperiores partes ſint robuſtiores, aliàs fit vomitus,) turbatur alvus, & ſecedentes ſucci portam aperire jubent, ut exeant. Beſtialis itidem ingurgitatio ciborum, in ſe quidem ſatis laudabilium, ſine præviâ maſticatione idem facit, ipſius *Senis* documento, καὶ γὰρ αἱ πληρώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἀφιγμέναι χαλεπαί *1. aph. 4. Platerus l. 3. obſ.* ut & *Lotichius obſ. med. l. 4. c. 7. obſ. 1.* largum potionum uſum ſeu crapulam accuſant; Hic in Capitaneo è nimiâ Zythi Mindenſis ingurgitatione diarrhœam vehementem, unâ cum torminibus ventris, notavit. Ille in ſemetipſo à vini cretici largo potu conatum quendam dejiciendi ſenſit per aliquot dies.

Inter *mordicantia* verò & acri *qualitate* irritantia occurrunt 1. ἡ τῶν ἐδεσμάτων διαφθορὰ, *ciborum corruptio*, ſeu vitio proprio, ſeu ipſius ventriculi. Pertinent huc omnes cibi concoctu difficiles; ſic cibi nimis humidi alvum ſubducunt, teſte *Coo l. de affection. c. 49. t. 3.* quibus glutinoſos addit *Galenus, l. 3. de ſympt. cauſ. c. 2.* utpote promptius delabentes, ut cucurbita, melones, pruna cerea, fungi, uvæ, fructus fugaces & ſimilia. Ita *Cicero l. 7. famil. epiſt. 26.* ſe à betâ & malvâ deceptum & diarrhœâ correptum notat. Ita Senis in annonæ penuriâ plures obiiſſe narrat *Thuanus*, idq; malvarum eſui à medicis tributum fuiſſe, quæ alvum plus nimium ſolverent & concoctionem impedirent *l. 15. hiſtor. p. 306.* Idem faciunt cibi ⊖lis condimento neceſſario deſtituti, unde eleganter *Appianus de bell. Hiſpan.* milites, vino, ſale, aceto, oleo carentes, ac tritico hordeo, cervorum leporumque carnibus ſine ſale veſcentes alvi, diffluiſſe refert, atque hoc morbi genere multos eſſe abſumptos, quod ipſum poſt inopiam ex ſubitâ repletione accidiſſe annotat *idem lib. de bell. parth.* Sic non rarò id in tenerioribus præſtant acida δῆξιν ἐμποιέοντα, *morſum inducentia.* Sic τὰ ἁλμυρὰ διαχωρέει, *ſalſa* etiam *ſecedunt.* Sic pinguia & dulcia ὑγρασίαν καὶ φλέγμα παρέχοντα, *humiditatem & pituitam exhibentia.* Sic & potus impurus, muſtum, cerevifia feculenta, Numburgenſis, ut & aliæ ex aquis mineralibus coctæ. *Riverius cent.*

 2. obſ.

2. obſ. 47. ex ejuſmodi pravâ victûs ratione diarrhœam octo annos durantem in nobili viro obſervavit.

Præprimis verò *modus aſſumendi* vitiatus, ſine ordine & tempore, ad fluxus alvi ciendos plurimum confert. Cibo etenim aſſumpto novo, priori nondum planè dimiſſo, certum eſt, pylorum benè conſtitutum ſtatim claudi. Pars ergò chyli detenda corrumpitur, plus juſto aceſcit, novumque victum fermento præmaturo contaminat, qui ut varios morbos, ſic & diarrhœam excitat.

2. Φαρμακώδης τις δύναμις *medicamentoſa quæpiam vis*, eaque vel cum cibis ſimul, vel per ſe aſſumpta. Pertinent huc tum propriè dicta purgantia omnia, quæ, quotidianâ teſtante experientiâ, fortiori doſi propinata faciunt ὑπερκάθαρσιν, ob fortiorem quam præſtant irritationem, præcipuè ex colocynthide, elaterio, helleboro, ♃io, & aliis μοχθηροῖς parata.

Obſervavit verò *Nob. D. D. Præſes* ſæpius in praxi ſuâ, fieri hypercatharſin & diarrhœam, etiam 1. à *purgantibus lenioribus* in iis, qui vel debilem, &, ut ſic loqui liceat, papyraceum ferè habent ventriculum, vel excrementitiis, acribus, ſeroſis præſertim humoribus abundant, unde vel levi ſtimulo concitantur ad citatum exitum. Vidit id in multis hypochondriacis, præter communem ſortem, qui tàm levi ſæpè egent purgante, quantum vel infans 6. ſeptimanarum vel minor adhuc ferre poſſit. 2. *à reſolventibus*, unde à pulvere pleuritico ter notavit alvi fluxum purulentum, quod ipſum de abſceſſibus internis in publicis teſtatus nobis eſt lectionibus. Id ipſum expertus eſt in caſu abalto, datis reſolventibus, aliquoties, & nos quoque ex ejuſdem fideliſſimâ manuductione nuperrimè de eodem experientiâ ſumus confirmati. Faciunt huc & ☽ſa pleraque; ita à dato *arcano duplicato* idem *D. D. Præſes* annotavit ægros purgatos. Imo effectum eundem vidit *à Zzrinativâ*, in anu. Sic & de *pulv. pannon. ſpec. de gemm. frig. de hyacintho &c.* pro ſudore eliciendo, & malignitate corrigendâ exhibitis, obſervavit *Hœferus Herc. med. l. 8. c. 4.* quod loco ſudoris, quem promovere debebant, alvum irritarunt, & diarrhœam effecerunt. Diſtinguendum nempe eſt inter

effectum

effectum per ſe & per accidens, unde & hîc valet, recipi à naturâ medicamenta, non ad modum agentis, ſed receptivitatis ſuæ.

Venena corroſivitate nimiâ infamiâ fluxum alvi lethalem ſæpènumerò inducunt. Retulit nobis lugubre hujus rei exemplum laudatiſſimus *D.D.Præſes*, quod in urbe primariâ medici miniſtri incuriâ loco purgantis propinatum ſano aliàs homini fuit ☉☉cum, quo hauſto immanibus cruciatibus & continuis ſedibus afflictus æger, ut & inteſtini prolapſus cum maximo tumore acceſſerit, animam brevi efflavit, fruſtrà pinguibus, aliisque antidotis adhibitis. Alia odioſa exempla omittimus.

Motus & *exercitationes* in corpore cacochymico intempeſtivè inſtitutæ, ut ſaltatio, equitatio, curſus, pilæ luſus &c. fructum hunc ferre ſolent. *Quies* ſeu vita ſedentaria, dum transpirationem impedit, cruditatesque infert, corpus ad alvi fluxus diſponit.

Somnus immediatè à cibo calorem ſufflaminando, noſtri morbi rudimenta ponit. *Vigiliæ*, teſte *Platero l.3.obſ.p.854.* plurimum conferunt diuturnæ, coctiones enim impediunt.

Animi pathemata in excludendo malo hoc ovo, fomitem maximum adminiſtrant. Sic, ex validâ humorum commotione in irâ, ſæpiculè ſubitò oriuntur alvi fluxus; Sic ex mœrore fluxum hunc alvi obſervavit *Platerus loc. cit.* teſtaturque id experientia, ut ferè in proverbium abierit apud Germanos, quando hos affectus deſcribere volunt, ut magnitudinem ipſorum alvinis metiantur ſedibus. *Walæus* diarrhœas ex terrore & timore ortas *refert*, quomodo autem illæ ex jam dictis affectibus oriri poſſint, explicat idem *meth. med. p.42.*

Excreta & *retenta* multum pariter ſubminiſtrare poſſunt. Conſvetæ enim evacuationes (ut ſunt ⊡, ſudor, laticem ſeroſum vel ſenſibiliter, vel inſenſibiliter evacuare, & difflare ſolitus, mucus, ſaliva, fluxus hœmorrhoidum &c.) ſuppreſſæ, aut nimiâ quantitate factæ, quid hanc in rem poſſint, quotidianâ notum eſt experientiâ.

CAPUT

Caput VII.
De Cauſis Præternaturalibus.

CAUSÆ PRÆTERNATURALES ſuccedunt. Ita jam ſuprà delibavimus *intemperiem ventriculi & inteſtinorum* frigidam & humidam, vel calidam, unde chyloſis depravatur, & conſequenter etiam alimentorum diſtributio. Quod enim in primâ coctione non fuit evolutum, id raro in ejuſdem continuatione emendatur, unde eleganter *Philoſophus ἐν ταῖς κοιλίαις, ſcribit, διὰ τὴν ἀπεψίαν γίνεται διάῤῥοια, in alvo profluvium accidit cruditate, l. 1. de gener. animal. c. 20.*

Meſenterii morbi ſæpenumerò diarrhœam excitant, & hinc fere omne pituitoſum profluvium originem ſumere ſcribit *Fernel. l. c.* Notabile eſt, quod obſervavit *Hollerius l. 1. c. 42.* fluxum quendam diuturnum in multis, in quo varia, opima, nigra, cœrulea, viridia, *ſatis corpulenta*, excreta fuere, tum ob alias cauſas, tum ob ſideratam partem meſenterii. Ita & diarrhœam talem *carnoſam* diuturnam, cum magnis doloribus, in milite 56. annorum annotavit *D. D. Præſes*, & cum admiratione vidit carnea fruſta excreta, aliquot librarum, fibroſa, parenchymatica, rotunda, moriente tandem ægro, cujus cauſam ab eâdem fere deduxit origine. Hinc & diarrhœa *chyloſa* commodè deducitur, quia lactearum meſaraicarum tubuli obſtruuntur, quale exemplum annotatum eſt *l. 2. ephem. Germ. obſ. 152. p. 237.*

Hinc & in *phthiſicis* deſperatis diarrhœæ frequentes eſſe ſolent, neque enim alia eſt via, quàm, ſi receptio non datur chyli in ſua vaſa vel quoad totum, vel quoad maximam partem, per inferiora.

Tale colliquativum alvi profluvium, licet pinguibus non aſſumptis, quo caſu interdum tale viſitur, ſæpe eſt oleoſum, quaſi adipe vel oleo perfuſum, inſtar pinguedinis humanæ, obſervante *B. Mœbio in F. M. Phyſiol. c. 11. p. 226.* bubulæ, teſte *D. D. Mollenbrocc. l. 2. ephem. Germ. obſ. 20. p. 45*; idque & in peſtilentialibus febribus, cauſo colliquativo, hecticâ, atrophiâ,

hiâ, phthiſi, tympanitide, viſcerumque inflammationibus
bſervatum fuit.

De *Hepatis* & *ſplenis* vitiis jam diximus ſupra. Diarrhœam
x diſrupto abſceſſu lienis annotavit *Vid. Vidius l. 9. c. 23.* Diar-
hœæ à *cerebro* ortæ exempla conſignavit *Riv. c. 2. obſ. 89. & Za-
ut. Luſit. l. 2. prax. admir. obſ. 22.*

A *febre tertianâ* contumaciorem, ac vires omnes proſter-
entem diarrhœam vidit *River. cent. 2. obſ. 20.* epidemiam *Bar-
hol. cent. 2. hiſt. anat. 66.*

Ex *amputatis artubus* diarrhœæ quandoque proveniunt,
uia anaſtomoſes vaſorum in extremitatibus tolluntur, hinc
nguis cogitur retrocedere. Obſervavit id *Lotich. l. 6. obſ. 9.*
alii. A *vermibus* idem quandoque obſervatur.

A dyſenteriâ in pluribus ægris diuturnam obſervavit
iarrhœam, ad aliquot menſes, imò annos, durantem *D. D.
ræſes.* Diarrhœam à menſium ſuppreſſione vidit *Jacchinus
mm. in l. 9. Rhaſ. c. 61. p. 463.*

Agmen hoc claudit diarrhœa, ex reſolutis inteſtini recti
uſculis, ſeu ani ſphinctere, quam *Galenus l. c. l. 3. de ſympt.
uſ. c. 2.* τῷ γένει τῆς αἰτίας *genere cauſæ* ab aliis variare dicit, quia
t ἀπροαίρετος *involuntaria*, injuſſa prodeunt excrementa,
hinc ἄκαιρος, ἄτακτος, καὶ συνεχὴς, *intempeſtiva*, *inordina-
aſſidua* eſt. Conferri poteſt *Capivacc. l. 3. pract. c. 15.* Talem
paralytico juvene ſe obſervaſſe notavit *D. D. Præſes l. 2. e-
em. Germ. obſ. 231. p. 334.*

Caput VIII.
De Differentiis.

Um plurimæ diarrhœæ ſint differentiæ, ut eæ dilucidè
proponantur, triplicem hic ſiſtimus diſtinctionem.

Et I. quidem] GENERIS ratione, excretio iſta quoad
bſtantiam, eſt humorum vel *craſſorum* & *viſcidorum*, vel *tenui-
n*, quoad *quantitatem*, excretio alia eſt *vehemens*, alia *medio-
s*, quoad *tempus*, quibuſdam eſt *frequens* & *continua*, aliis *in-
rpolata*, quoad *qualitates tactiles*, aliquando *cum*, aliquando

C *ſine*

ſine torminibus accidit quoad *colorem* ſæpenumerò variat, modò flava, albeſcens, modò æruginoſa, nigricans, nu pinguis & oleoſa eſt.

II. SUBJECTI ratione alia eſt *eſſentialis*, quando ca ſa morbifica in parte affectâ, ejus vitio producitur. Alia *conſenſum*, quando alterius partis vitio materia generatur transmittitur. Hæc à parte affectâ, nunc cerebralis, nu meſenterica, nunc hepatica, nunc ſplenica, nunc uterina catur.

III. MODI & CAUSÆ EFFICIENTIS ratione, diarrhœa eſt *cum*, vel *ſine febre*, alia *critica*, alia *ſymptomatica*, eſt *chyloſa*, alia eſt *bilioſa*, *melancholica* alia, alia *ſeroſa*, qui tam humores utplurimum mixti excernuntur; alia colliquati purulenta. Alia eſt *ſtercorea*, in quâ magna copia ſterc liquidi frequenter ejicitur, alia à facultate *labefactatâ*, alia errore *externo*, ut medicamento venenoſo, *purgante* quod percatharſin excitat, alia denique *connata* & *hæreditaria* exi

Hiſce tribus diſtinctionibus adhuc ſubjungimus diſ ctionem illam, quâ ab aliis, vel SIMILIBUS AFFECTI diſtinguitur.

Differt ergò profluvium hocce alvi ab aliis, in gen quod ſit ſine exulceratione, inflammatione, aut teneſmo ſpecie, à *lienteriâ*, quod in illâ cibus non mutatus, ſed ut fuerat aſſumptus per alvum celeriter excernatur: à *c câ paſſione*, in quâ materia exiens alimenta cruda & imp ctè cocta ſunt; à *fluxu hepatico* & *hæmorrhoidali*, quod in ſanguinolenta fiet excretio, ſine aliorum humorum ad tione: à *cholerâ*, quod in hâc continua aſſumptorum, co ptorum, pravorumque humorum ἄνω καὶ κάτω fiat expu à *dyſenteriâ* diſtat, quod neque ſanguinolentas habeat e tiones, neque dolorem, niſi fortè ejus reſpectu tolera & fugacem.

CAPUT IX.

De Signis Diagnoſticis.

Longâ ſignorum enumeratione diarrhœa licet non ha

beat, cum ſit talis affectus, qui ſe ipſum defluxione prodit: tamen ea, quæ ad accuratiorem affectus διάγνωσιν facere ſſunt, omittere videamur, apponere quædam animus eſt. quidem.

Ratione GENERIS; Alvi fluxus IMMINENTIS ſigna oponuntur ab *Hippocrate coac. prænot. c. 1. tit. 201.* οἷσιν ἐρυγμοὶ, σαι, ψόφοι κοιλίης, καὶ ἐπάρσιες, ἐκταραξις κοιλίης. *Quibus lus adſunt, & flatus, ſtrepitus ac elevationes ventris, his fit alvi urbatio.* Addit hiſce *4. aph. 73.* murmura hypochondrio-m, & lumborum dolorem. Adeſt ciborum faſtidium, ἐρυγμοὶ, fluctuationes, & conatus ſe tandem prodit in eſtino recto.

PRÆSENS per ſe manifeſtus eſt, ex frequenti, liquidâ, opioſâ dejectione, hoc vel illo modo à ſtatu naturali va-ns.

SIGNA SUBJECTI, an *eſſentialis*, an *ſympathica* ſit diar-ca, attendi merentur. Si enim ventriculi inteſtinorumque vitio, adſunt ciborum faſtidium, cruditates, ructa-nes, inflationes, fluctuationes, & quæ alia ventriculi & eſtinorum intemperiem, ſine aliis totius affecti ſignis, ar-unt. Si verò vitio aliarum partium fiat, earum affectarum na aderunt, v. g. ſi *totum* ſuppeditat huic malo anſam, ſeu n febre, ſeu citra febrem, ſigna in toto aderunt cum fluxu pioſiori. *Hepar* ſi fomitem alat, in dextro hypochondrio vitatis ſenſus cum tenſione aliquâ ſentitur, bilioſaque ernuntur, præſertim, ut quidam volunt, noctu. *Lien* ulpam ſuſtinet, vel tumor, vel durities, vel gravitatis ali-s in ſiniſtro hypochondrio ſenſus adeſt. Ex *cerebro* ſi hu-rum fit in alvum defluxio, gravitas capitis & dolores ur-it, adſunt deſtillationes catarrhales, & excretus humor ut-rimum ſpumoſus eſt, argumento *7. aph. 30.* adſunt unà lutiones nocturnæ &c. Ab *utero* ſi procedat, ſuppreſſio nſium, vel ſymptomata affecti uteri alia aderunt.

SIGNA CAUSARUM deſumi poſſunt ab ipſius ægri re-one, & ſymptomatibus; æger ideò interrogandus, an in-ſerit copioſius alimenta emollientia, acria, mordacia, &

chylum corrumpendi, vel proritandi vim habentia, an medicamentis ſimilibus fit uſus, an veneni ſuſpicio adſit?

Si à *ſanguine* extravaſato, lintea intincta rubeſcunt, præceſſit caſus ab alto, adfuit vel comitatur vomitus ſanguineus. Ex *bile* ortum ducere, febris & excrementa billioſa, victus prægreſſus, & alia demonſtrant; Si verò ex *chylo* oritur, materia liquida, aliquo modo tamen craſſa, quaſi ptiſana, ſine fœtore per alvum excernitur. An autem hæc materia ex vitio ventriculi emergat, inter autores magna eſt diſſenſio; Quidam affirmativam, quidam negativam amplectuntur ſententiam; Nos cum *Schwalbio* exiſtimamus, ſi ejuſmodi materia cinereo colore excernitur, non ſtatim ventriculi ratem everſam concludendum, cum obſtructa vaſa meſaraica ſæpè chylum bonum ejectum non admittant. Si *pituitæ*, *ſero*, aliisque humoribus ſuas debet natales, id ex propriis cujuſcunque humoris ſignis innoteſcit.

Purulenta ſi ejiciantur, id viſu patet; fluxus colliquativi à poſteriore corporis atrophiâ, & extenuatione; à priori febre acutâ, vel hecticâ, pulſu languido, & aliis dignoſcuntur. *Critica* diarrhœa ex ſignis coctionis & εὐφορία, *ſymptomatica* ex ſignis cruditatis, & virium debilitate pateſcit.

CAPUT X.

De Prognoſi.

PRognoſin Medico ſcitu neceſſariam eſſe, *divinus Senex* in *procemio prognoſticorum ſuorum* inculcat, τὸν ἰητρὸν, *inquiens* δοκεῖ μοι ἄριστον εἶναι πρόνοιαν ἐπιτηδεύειν, *Medicum, opinor, providentiâ uti, optimum eſſe.* Quare & Nos, quâ in præſenti affectu ſpe niti poſſint ægri, paucis conſideraturi ſumus.

SALUS & MORS in noſtro affectu poſſunt prædici, 1. ratione GENERIS. Diarrhœa ex ſe non minatur periculum, unc enim die fluere alvum, teſte *Celſo l. 4. c. 19.* ſæpè pro valetudin eſt, ſi modò febris abſit, & intra ſeptimum diem conquieſca Purgatur enim corpus, & quod læſurum erat utiliter effundi tur. Si verò ultra ſeptimum diem ſeſe extendit, & frequen

& copioſa ſit, moleſtiam infert haud exiguam, tormina, ac febriculas excitat, viresque conſumit. Hinc non debet medicum magnoperè ſolicitum reddere, ſi evacuantur, qualia oportet & facilè fert æger, quando humores paulatim & cum ἐμφορίᾳ evacuantur, *1. aph. 2. 23. & 25.* nec metuenda, ſi non plenè ſit immodica.

Bona ergò eſt in ſe, quæ ſine febre, brevi tempore durans, ſυνήθης *mitis*, non ſenſibiliter lædens. Reſpectu aliorum morborum bona eſt ſuperveniens ophthalmiæ *6. aph. 17.* leucophlegmatiæ *7. aph. 28.* ſurditati *4. aph. 28.* cordis palpitationi & ochiis retentis. Contra verò ex frequenti deſeſſu delaſſatur æger, debilitantur vires, ſequuntur vigiliæ, imò εἰ ἀθρόον πολλάκις διαχωρέει, κίνδυνος λιποθυμῆσαι, *ſi ſæpè acervatim egerat, periculum eſt, ne in animi deliquia incidat*, autore *Coo prognoſt. c. 7. t. 14.* Mala ſunt excreta valdè alba, ſpumoſa, circumbilioſa, cum ſtridore, graveolentia, mordacia, tenuia, cruda, multa, ut & viſcoſa, meraca, aquoſa, purulenta, valdè rubicunda, pallida, varia, cum virore pallida, farinæ vel paleæ ſpeciem præ ſe ferentia, æruginoſa, inprimis nigra, hæc enim κακώσιν viſcerum indicant, vid. *4. aph. 21.* in ſpleneticis verò & à ♂libus ſæpè ſunt ſalutares.

2. Ratione SUBJECTI, minori cum periculo conjuncta eſt, ſi inteſtina ſolum peccant, majori, ſi fovetur vel à toto, vel aliis partibus. Mulieri uterum gerenti, ἢν ἡ κοιλίη πολλὰ ῥυῇ, ſi alvus multum fluxerit, periculum eſt ne abortiat, eloquium eſt *divini Senis 5. aph. 34.* notandum verò id fieri quidem utplurimum, ſed in diſpoſitis, & cum aliis ſignis malis. Tale exemplum in contrarium videri poteſt apud *Platerum l. 3. obſ.* & notæ ſunt obſervationes autorum, etiam gravidas ſæpè à fortiſſimis non abortum paſſas eſſe purgantibus, teſte *Rondel. 2. mat. med. ſ. 1. c. 15. Zac. Luſ. l. 1. hiſt. 25.*

3. CAUSARUM etiam ratione prædictio quædam elici poteſt. Periculo caret diarrhœa, ſi à nimiâ ciborum ingeſtorum copiâ provenit, ſiquidem illâ coctâ & à naturâ dejectâ facilè ſedatur. Perículoſior verò eſt, ſi ob pravos cibos accidit. Nam naturam irritare, & reliquos in corpore humores,

 mores,

mores concitare, imò malam diſpoſitionem ventriculo & inteſtinis inducere poteſt; qui humores concitati, quò pejores, vel mitiores ſunt, eò periculoſiorem, vel cum minori periculo conjunctam producunt diarrhœam. Critica ſemper bona, ſymptomatica verò ſemper mala. Bona, quæ ſequitur lochia retenta, dentitionem; mala, quæ pleuritidem *6. aph. 16.* In hecticis & maraſmo, fluxus colliquativus plerumque lethalis; in febribus ardentibus cum ſalutaribus ſignis, coctione &c. bona eſt, & vice verſâ. Malignitas ſi conjuncta eſt, malum eſt; ut & atrabiliaria diarrhœa morbis quibusvis incipientibus *4. aph. 22.* A vermibus modò bona, modò mala. Sic & hydropici diarrhœâ correpti nimiâ, licet ſæpè evadant, ſæpè tamen moriuntur, de quo elegantiſſimus locus videri poteſt apud *Plater. l. 3. obſ. p. 657.* Si phthiſi detento diarrhœa ſuperveniat, lethale pronunciat *Cous 5. aph. 14.* præcipuè ſi capilli defluunt. *5. aph. 12.* Diarrhœâ à maleficio ortâ laborantes rarò in priſtinam reſtituuntur ſanitatem, ſed tabidi aut doloribus conſumpti, plerumque pereunt, teſte *Mercato* l. c.

LONGITUDO & BREVITAS variat pro cauſarum ratione. Alvi fluxus ex hepatis & meſenterii vitio, diu durare ſæpè conſveverunt. Inter diuturnos morbos fluxus à capite deſcendens referri ſolet. Quæ vires juvat diarrhœa, vel mitiorum quantum peſſundat, citius terminatur, quæ medio modo ſe habet, ſæpè ad aliquot menſes, imò annos ægrum affligit, uti ſupra jam octo annos durantis ex *Riverio* meminimus. Si à debilitate viſcerum oriatur, maximè moleſtum eſſe ſolet profluvium, ita enim morbus magnus magno ſupervenit. Diſpoſitio hæreditaria utplurimum ad mortem comitari ſolet; In ſcorbuto difficulter curatur, & longo temporis tractu ægros moleſtat.

MODUS EVENTUS non eſt uniformis: *Ad ſalutem* terminatur, aut eluitione, ſeu abſterſione factâ, aut ſuâ ſponte, quando mutatio excrementorum, ſed non in deterius, cernitur, ut habet *Hippocrates 2. aph. 14.* talis verò eſt, ut alibi ait, ſi inſpiſſentur, id eſt, ſi propiora evadant ſtatui naturali. Ad ſalutem quoque terminatur, dum medicamenta ritè adhibentur,

tur, viresque patientis reſpondent, vel ſi vomitus ſupervenit, juxta *6. aph. 15.* Denotatur verò finis, cum ventrem tangenti nullus motus occurrit.

Interdum etiam diarrhœa mutatur *in alium affectum*, quæ media quaſi eſt terminatio, vel in deteriorem vel mitiorem, idque tum ſuâ naturâ, ut dyſenteriam *7. aph. 75.* ſurditatem *4. aph. 28.* tùm, ob præpoſterum adſtringentium uſum, in alios.

Tandem ſi mutatio excrementorum in deterius cernitur, & viridia, nigra, aut livida, pinguia, atque graveolentia fiunt excrementa, cum ſingultu, & aliis malis ſignis, tunc mutatio eſt mala, ob defectum caloris, & corporis colliquationem, & plerumque ad *mortem* terminatur.

CAPUT XI.

De Methodo Medendi.

UT, quomodo curatio *citò, tutò,* atq; *jucundè* inſtitui poſſit, appareat, atque ab ἐμπειρία diſtinguatur, ſecundum methodum receptam, triplicemque indicationum ordinem, curationem præſentis mali inſtituemus.

Quoad CURATORIAM indicationem, diarrhœa inutilis, qualis hypercatharſis, & fluxus colliquativus, ut & quæ vires lædit, lipothymiam & alia gravia mala minatur, mox ocyus compeſcenda; & evertenda eſt; utilis verò, qualis critica, nullo modo, ſed ſi die critico, apparentibus coctionis ſignis accidat, totum negotium naturæ committendum, uti ex *1. aph. 20.* colligere eſt; ſymptomatica verò ſeriùs ocyus pro circumſtantiarum ratione ſiſtenda eſt. Hæc enim ſi ægro commoda, ſi vires non atterit, ſed benè ferunt, non ſtatim cohibenda, ſed per triduum vel quatriduum licet à remediis abſtinere, teſte *Heurnio in libr. 3. aph. 30. n. 9.* Spectatorem potiùs hujus naturæ motus aliquamdiu agere decet medicum, nec ſiſtere ſtatim tum alios, tunc hunc fluxum, ita tamen moderari, ut ſiſtere quando eundem vult & debet, poſſit. Quamvis enim mala ſit ratione ſigni, eleganter ait *B. Rolfincius epit. affect. particul. l. 3. c. 16. p. 283.* bona tamen eſt ratione

cauſæ

cauſæ, Sin ſiſtere talem fluxum, cacochymiâ forti præſente, intempeſtivè medicus conetur, humoribus vitioſis, quos natura rectè expellere incepit, in corpore retentis, recidiva, lipothymiæ, anxietates, eryſipelata, & viſcerum inflammationes, hydrops, teſte experientiâ, abortus ex obſervatione *Coi l. 2. epid. ſ. 2. t. 4.* phrenitis, lethargus, parotides, *Trallian. l. 8. c. 5.* & mors ipſa, quo de inſignis extat obſervatio apud *Fernel. l. 6. pathol. c. 9 p. 592.* ac alia mala conſequi ſolent.

PRÆSERVATORIA indicatio ad cauſas reſpectum habet, ut ea auferantur, quæ irritant facultatem, & ſtimulant: Intemperies ergò alteranda, malignitas alexipharmacis appropriatis oppugnanda, & errores externi tollendi.

VITALIS denique indicatio, toti corpori, & inprimis ventriculo, & inteſtinis medicamentis corroborantibus, & ſtomachicis appropriatis, auxilium parat.

MATERIÆ autem PRÆSIDIORUM, quæ indicationibus his ſatisfacere poſſunt, ſumuntur ex tribus uſitatis fontibus, de quibus in ſequentibus.

CAPUT XII.

De Auxiliis Chirurgicis.

CHirurgicorum auxiliorum omnium primum & generoſiſſimum habetur VENÆSECTIO, quæ an in noſtro affectu adhibenda ſit, inter autores disquiritur. Pro negativâ facit autoritas *Galeni l. 1. de art. curat. ad Glaucon. c. 14.* ubi febri cum diarrhœâ laborantes nullâ aliâ indigere evacuatione affirmat, & ſanguine miſſo majora imminere pericula. Spectat etiam huc generale *Hippocratis* aſſertum *4. de rat. vict. acut. c. 65. t. 1.* ubi ſi ſanguinem alicui detrahere conducat, ſolidam, *ait*, alvum facere oportet, ubi idem *Pergamenus in comm.* præcipit: *Fluente alvo ſanguinem ne detrahas.* Ratio addi poteſt 1. contraria contrariorum eſſe remedia, ex quo argui poteſt fruſtrà inſtitui V. S. 2. vires magis proſterni, ſi afflicto addatur afflictio.

Ut ex hoc labyrintho pateat exitus, diſtinguendum eſt 1. inter diarrhœam criticam, vel huic analogam & ſymptomaticam

ticam; in criticâ diarrhœâ juxta *1. aph. 20.* temerarium id eſſet & periculoſum, non ſemper verò in ſymptomaticâ. 2. Inter indicationem primariam & ſecundariam. Fluxus alvi, ut talis, venæ ſectionem non indicat, benè tamen ejus quandoq; cauſa. 3. Inter vires permittentes & contra indicantes, ſi enim diarrhœa adeò ferociat, ut vires proſternat, minimè ſecanda vena, ſed ſymptomati urgenti occurrendũ eſt; benè tamen id concedi poteſt, ſi ætas cum iisdẽ id non prohibeat. Hinc convenit V. S. in diarrhœâ, ſi maſſa ſanguinea irritationem viſcerum foveat, ſi præ copiâ foruli ſuis exundent humores, ſi conjuncta cacochymia cum plethorâ, & inflammatione ſeu æſtuatione cujuſdam partis, teſte *Foreſto l. 22. obſ. 6.* ſed per intervalla, quod notat *Valer. Martin.* imminutâ prius materiâ blando pharmaco, & propinatis corroborantibus; Si ſine ægri commodo & emolumento excernantur, quæ retineri debent, præcipuè ſi febris unà adſit &c. Confirmat hoc ipſum non tam ratione & autoritate, quàm diuturnâ ſuâ experientiâ *Donatus ab Altomari l. 2. de medend. hum. corp. mal. cap. 14. f. 41.* Confer *Braſſavol. comm. in l. 4. de vict. acut. ſ. 116. p. 239. Fram. Ceſar. in conſ. p. 334. & alios.*

CUCURBITULÆ ſcarificatæ, ut vicariæ venæſectionis, ſcapulis & dorſo admoveri poſſunt, quæ non exiguam vitioſos humores, ſi cerebrum pars mandans ſit, evacuandi & derivandi, aut ſi aliunde proceſſerit, ſtrenuè revellendi vim obtinent. Cucurbitula magna ventri applicata egregiè juvat, teſte *Avicenna, l. 3. fen. 16. tr. 1. c. 4.* ubi ſe expertum eſſe *ſcribit*, quod ventoſæ poſitæ ſuper ventrem eorum, qui patiuntur fluxũ alvi, eundẽ reſtringant, quod alii quoq; confirmant.

Notandum verò, quod in fluxu venenato cucurbitulæ non affigendæ ſcapulis ſint, ne materia in thoracem ducatur, monitore *Herc. Sax. pr. prælect. lib. 2. c. 25.*

VESICATORIA in foro practico (quicquid etiam dicat *Valer. Martin. de veſicant. c. 5.*) conducibilia cenſentur à *Zac. Luſitano*, qui teſtatur ſe ſolis veſicatoriis curaſſe diarrhœam catarrhalem, ſeu à capite ortam.

FRICTIONES & LIGATURÆ fortiores in partibus

D

tibus exterioribus, ut brachiis, pedibus ad revulſionem & ſuſpenſionem erunt utiliſſimæ, commendantibus eadem, præter alios, *Abuali*, & *Altimaro loc. cit.*

CAPUT XIII.

De Remediis Pharmaceuticis.

FONS PHARMACEUTICUS nobiliſſima, eaque varia remediorum genera, tam interna; quam externa ſuppeditat. Valet hîc cautela *Galeni*, tum alibi, tum *l. 2. de nat. fac. c. 7.* propoſita, & evacuationis, & generationis materiæ vitioſæ habendam eſſe rationem, neque tam ſolicitos eſſe debere medicos de evacuandâ, quam ut ne multa gignatur prohibeant.

Dividimus hæc medicamenta in univerſalia & particularia. Conjungit hæc utraque & ad diarrhœam applicat *Abuali l. c.* Primo loco ſe ſiſtunt EVACUANTIA duplicis generis, ἀνωπερικὰ & κατωπερικὰ, utraque vel lenia vel fortiora.

Solet quæri h. l. an fluxus fluxu, quæ vulgata eſt parœmia, curandus ſit. Reſpondemus nos breviter cum *Montano conſil. 162.* id locum habere non abſolutè & ſemper, ſed ſecundum quid & quandoque. Vid. quoque *Bravo reſolut. med part. 4. ſect. 4. reſol. 7.* & alii. Hinc utique commendamus evacuantia, aſt non promiſcuè, ſed v. g. ſi foveatur à farragine humorum vitioſorum in ventriculo, ſi ab errore externo, ſi non tantum evacuetur, quantum oportet, adeoque neceſſarium ſit, ut arte ſuppleatur, in quo natura deficit, & qui alii dari poſſunt caſus.

De evacuantibus verò notandum, quod 1. in principio ſtatim ſint adhibenda. Si verò fluxus jam ad 5 6. vel 8. dies duraverit, non evacuantia, ſed corroborantia in uſum vocanda. 2. Debent eſſe leniora, ut, quod pluribus egeſtionibus, cum dolore & naturæ labore exitum affectat, breviori tempore, & minori moleſtiâ eliminetur, non verò major irritatio ſequatur. 3. adſtrictionem poſt ſe reliquant, unde conveniunt *rhabarb. mechoacanna, tamarindi, myrobalani*, & ex his parata varia, *ſir. de cich. c. rhab.* & ſimilia. Notari quoque meretur, quod nonnulli ex auto-

autoritate *Meſue* agaricum in profluvio alvino curando planè rejiciunt, eò quod imbecilla lædat viſcera, ſed rectius concedunt id alii, cum ſimul amaricet, leviter adſtringat, nec ex μοχθηρῶν cenſu ſit. In ſpecie eundem experientiâ ſuâ commendat *Altimarus l. c.* in ipſo fluxu hepatico probatâ.

℞. *rad. plantag. cichor.* a. ℥ß.
fl. roſ. rubr. p. iij. *myrobal. citrin. rhab. el.* a. ʒj.
ſpicæ ℈ß. *ſchœnanth. cinam.* a. ℈j.
Coq. in ſ. q. *ſeri lactis.* Col. ℞ ℥iij.
in quibus diſſolv. *ſir. cich. c. rhab.* ℥ß *mann. calabr.* ʒiij.
M. D. in fictili S. Laxiertränckl ein uf jmahl.

℞. *M. P. aloet. Dn. Præſ. extr. rhab.* a. gr. xv.
agar. troch. ℈ß. M. c. *elix. propr.* F. l. a. pil. S. Laxier-Pillen uf ijmahl.

Si defluxiones humorum & catarrhi ſimul urgeant,

℞. *M. P. de ſuccin. Crat. aloephang.* a. ℈ß.
extr. agar. gr. v. c. ſ. q. *ſir. de abſinth.* F. l. a. pilulæ.

Soli quoque ſæpè clyſteres detergentes & eluentes ſufficiunt ex *lacte, jure carnis, decoct. hord. mil. & myrobalan. melle, vitell. ov. ungvent. clyſmat. ol. comm.* Vel, ex conſilio *Plateri*, ex ſanguine calente, qui mirabiliter alvum fluentem compeſcere ſcribitur.

℞. *decoct. fl. & fruct.* ℔j.
elect. lenit. mellis anthoſ. a. ℥j.
ſacch. Thom. ʒij. *vitell. ov.* n. j. M. F. l. a. Clyſter.

VOMITORIA his ſuccedunt. Ut primæ viæ à ſaburrâ vitioſorum humorum quodammodo repurgentur, & ſimul quoq; aliqualis fiat revulſio, haud inconveniens erit, præprimis ſi nauſea adſit, & materia ad ſuperiora vergat, ſecundum *divini Senis 1. aph. 21.* emetico uti, per quod ſæpius tota curatio abſolvitur, ex *mannâ vomitor. aſaro, ſucco raphani, oxym. ſquillit.* &, ſi opus videatur, ♀ *emet.* quibus & cruditates corrigi, & viſcoſitas incidi, & copia evacuari poteſt.

℞. *elect. diaſar. Fernel.* ʒij. *mann. vomitor.* ℈j.
elæoſ. aniſ. gr. iij. *ſir. roſ.* & *ſacch.* q. ſ. M. F. l. a. bolus S. Magenbiſſen uf jmahl.

℞. ♀ *emet.* gr. ij. *elæoſ. cinam.* gr. vj. M. D. ad ch. S. Brech-Pulver.

Si cacochymia ſimul urgeat, ut PRÆPARANTIBUS ante evacuationem opus eſſe videatur, pro diverſitate humorum peccantium propinari poſſunt. Cùm verò cum alterantibus jam nominandis eadem coincidant, ſpecialiter in his nos non morabimur.

DIURETICA omittenda non ſunt, fit enim ab iis, teſte *Tralliano l. c.* & *Jouberto l. 3. prax. c. 22.* omnium commodiſſima diverſio, unde & alvus exſiccatur; conſtat enim, quod mictus plurimus dejectiones minuat, argumento *4. aph. 83.* & contrà, qui multum dejiciunt, parum mingant. Inſerviunt huic ſcopo ♈ ⊖ *ſimpl. comp. & dulcis*, ♈ *aperit. Penot. malvaticum juniperinum, ſem. 4. calida majora, eorumque olea, ſpec. diacumin.* & alia, in vehiculis appropriatis exhibita.

DIAPHORETICA quoque non debent negligi, quæ à centro ad circumferentiam optimè revellunt, & malignitatis rationem habent, humoresque acres præcipitant, corrigunt, ac temperant. Sudoris enim & urinæ materia prima eadem eſt cum eâ, quæ alvum fluxilem magis reddit.

℞. *bez.* ♂*t.* ⊖ *abſinth. ebor. ſ.* △, ā. ℈ß.
pulv. anod. gr. iij. M. S. Schwitz-Pülverlein.

℞. ▽ *cinam. borag. card. ben.* ā. ℥j.
theriac. Androm. ʒj. *cryſtall. ppt.* ℈j.
ſir. corall. Querc. ℥ß. M. F. Hauſtus.

℞. *tinctur. bez. D. D. Mich.* ʒj. *extr. theriac.* ℈j.
eſſent. anod. ℈ß. M. in vitro S. Schwitz Mixtur.

Excipiunt hæc ALTERANTIA pro diverſitate cauſarum varianda. In *calidâ, bilioſâ,* & *ſeroſâ* intemperie, conveniunt, quæ acrimoniam, caliditatem, & tenuitatem humorum corrigunt; qualia ſunt e. g. 1. *ἐπικεραστικὰ*, diluentia, temperantia, & incraſſantia; ita lac caprinum vel bubulum recens mulctum, vel coctum, vel in quô ſilices candefacti, vel chalybs fuêre extincta, in toto affectu, ſi febris non urgeat, commendat *Trallianus l. c.* Hoc, *ait*, nullum præſtantius remedium ad bilioſas fluxiones reperire licet. Sic & oryza cum lacte cocta egregiè incraſſat, & ſiſtit fluxus. Experti hoc ſunt in expeditione Americanâ Columbi comites, qui diar-

rhœâ

rhœâ & dyſenteriâ correpti, hujus uſu omnes evasêre. *Helmontius* in deſperato caſu dedit duo vitella ovi dura, ♃to roſaceo temperata, *tr. pylor. rect. §. 21. Borellus cent. 2. obſ. 4.* commendat lac bubulum, in quo ovorum lutea ſoluta. Ab *eodem cent. 4. obſ. 59.* Turcheſiæ novæ rupes ad ʒj. propinata commendatur. Sic paria hîc faciunt emulſiones alterantes & incraſſantes ex *ſem. papav. amygd. dulc. decoctum ſantal. rubr.* cum *cichor. gummi Arabicum, tragacantha.*

2. Præcipitantia & infringentia cum adſtrictione, fixiora, ut *tormentilla, biſtorta, plantago, portulaca. ſem. lapath. acut. myrtilli exiccati, ſpongia ſalicis,* It. *corna, cydonia, granatorum acini. pyra ſylveſtria, meſpila, ribes, berberis, ſcorba, fructus acaciæ, pruna acida; corallia, bolus armena,* ▽ *ſigillata, martis, ſmaragdus,* cujus uſu *Schenckius obſ. l. 3.* recenſet, poſt multa alia auxilia à diarrhœâ illuſtrem perſonam liberatam fuiſſe; *terra Japonica, ſangv. dracon. pulv. ſtypt. Crollii, tragea granorum actes,* de quâ vid. *Blochwiz. Quercetan. Borell.* ☺ *cinamom. rhabarb. ciner. leporis, C. C. uſt.* quod juſculis incoctum commendat *D. Graba in ſuâ* ἐλαφο-γραφίᾳ *cap. 9. p. 155. ſpodium, croc.* ♂*t. adſtring.* acida item ut ♃, ⊕*l.* ⊕*l.* ♂*t. conſerva roſ. antiqua, miva cydon. rob. & decoct. cynosbat. extr. plantag. torment. ſucc. acac. ſir. de cornis,* quem maximè commendat *Joubertus l. c. berber. myrtillor. myrobalan. de roſ. ſiccis, granat. acid. citr. corall. Querc. de agreſtâ, tinct.* ♂. *adſtr.* cum ⊕ *parat. tinct. corall.* ♀ ⊕*li, liquor ſtypt.*

In *frigidâ pituitoſâ,* & huic ſimili intemperie, conveniunt aromatica, quæ & incidunt, & roborant, ut *mentha, card. ben.* de quo inſignis efficaciæ potum, ad diarrhœam ſiſtendam, ex *Thom. Jordani peſt. phænom. tractat. 3.* adducit *Excell. D. D. Petri in tract. de card. ben. c. 9. p. 155. acorus verus, cort. aurant. citr. zedoaria, cinamomum, nux moſchata, lign. aloes ſuccinum, maſtiche, coagulum* vetuſtius *leporis,* vel *hinnuli,* quod ad diarrhœam præcipuè commendat *Philoſophus l. 3. H. A. c. 21.* ut & alia ſtomachica calida, & ex his præparata, ▽ *menth. Zedoar. cinamom. ſimpl.* & *cydon.* ♄, *maſtich. theriacal. eſſent. & extr. theriacale, ſir. maſtichin. myrtin. menth. abſ. ſtomach. Solenandr. miva cydonior.*

aromat. elix. ſtomach. ⊕*l. Mynſ. trag. ſtomach. Quercet.* Utrisque addi queunt confortantia alia.

℞. *pulv. ſtomach. nobil. Mynſ.* ʒj.
rad. torment. gran. tinct. ebor. ſ. △. ã. ʒß.
croc. ♂ *adſtr.* gr. xv. M. F. l. a. pulvis D. ad chart.
S. Stärck und anhaltend Magenpulver uf etliche mahl zu gebrauchen.

℞. *tinctur. corall.* ♀ ⊕*l.* ã. ʒj. *terræ catechu.* ʒß.
M. in vitro S. Stärcktinctur / 30. 40. gtt. pro doſi.

℞. *elix.* ⊕*l. Mynſicht. tinctur.* ♂ *abſinth. D. D. Præſ.* ã. ʒj.
M. in vitro S. ut ſupra.

℞. ▽ *menth. Zedoar.* ã. ℥iß. *cinam. cydoniat.* ℥ß.
~ *menthæ eſſentif. maſtich.* ã. ʒj.
eſſent. torment. theriacal. ã. ʒß.
ſir. cydon. cinamom. corall. ♀. ã. ℥ß.
~ ⊕*l.* ♂*t.* q.ſ. ad gratiam M. D. in fict. S. Stärck und anhaltendes Magenträncklein.

℞. *conſerv. roſ. antiq.* ℥j. *cich.* ℥ß.
cort. citr. condit. ʒij. *corall. rubr. ppt.*
ſpec. diarrhod. Abbat. bol. armen. ã. ℈j.
trag. ſtomach. Querc. ʒß. *miv. cydon.* q. ſ.
M. F. l. a. Electuar. D. in fict. S. Stärck Lattwerg.

His fluxus ſi non cedit, non ſine efficaciâ ſæpiſſimè præſcribuntur opiata, quæ omnibus aliis colophonem addunt, & palmam præripiunt, ceu heroes in auxilium vocanda, ubi immodicus urget fluxus, & vel ſolis iis res committenda, in certis caſibus, vel cum reliquis miſtis. Ita *theriaca*, recens præſertim, mirificâ pollet virtute, omniaque ex eâ parata jam laudata. Hâc ſolâ cum ▽ *cinam.* ſolutâ ſæpiſſimè diarrhœas & hypercatharſes compeſcuit *D. D. Præſes.* Confert etiam præcipuè, ſi à veneno affectus oriatur. Anodyna alia, in tincturæ, pulveris, pilularum aliâque formâ paria huic faciunt, ut de *Philon. Romano, requie Nicol.* & aliis nil dicamus.

℞. *eſſent. theriacal.* ʒj. *anodyn.* ℈ß.
M. in vitro S. Stärck Eſſentz.

℞. *laud. op.* gr. j. *theriac. Androm.* ℈j.

conſ.

conf. alkerm. incompl. g. xv. *c. ſir. de roſ. ſicc. & ſacch. q. ſ.*
M. F. l. a. Bolus.

℞. *extr. theriacal. torment.* a. gr. vj.
laud. op. gr. ij. M. F. l. a. pil. S. Abend Pillen.

℞. *mag. anod. Rolf.* gr. iv. *corall.* ℈ß.
D. in chart. S. Abend Pulver/ exhibeatur in ▽ *menthæ*.

Si verò ab aliis membris & affectibus foveatur diarrhœa, illorum remotioni invigilandum. Sic ſi cum febre ingruat, alterantia & febrifuga miſcenda. Si diarrhœa ſit epidemia, vel febribus malignis ſuccedat, ſola alexipharmaca proſunt, *lapis bezoar*, *diaſcord. Fracaſtor. ex tormentillâ* & *biſtortâ* parata, præter ſupra dicta juvant. Si ab hypochondriis affectis procedat, ♂lia danda & fortia adſtringentia vitanda. Sic ſumptum *præparati chalybis* pulviſculum alvi vetuſtiſſimos fluores perſanare, experientiâ quotidianâ confirmat *Mercurialis l. 1. conſil. med. 1. p. 7.* Si in hydrope accedat diarrhœa, cautè cum opiatis mercandum &c.

CAPUT XIV.
De Topicis.

ENumeratis hactenus medicamentis internis, ſuum quoq; ἐπιβάλλον μέρος haud aſpernendum in curatione conferunt EXTERNA, utpote quæ pluribus etiam ſcopis ſæpenumerò ſatisfaciunt. Conveniunt hunc in finem ventri, abdomini, ipſique ventriculo applicanda v. g. linimenta & unguenta, ex *balſ. ſtomach. ol. nuciſtæ, menthæ, maſtich. macis*, aliisque, non omiſſis carminativis.

℞. ℴℴ *myrtin. maſtich.* a. ℥ß.
balſ. peruv. ℴℴ *nuc. moſchat. expr.* a. ʒß.
ℴℴ *carmin. Mynſ. menth.* ℌ*t.* a. gtt. vj.
M. F. linimentum S. Magen Balſam.

℞. ℴℴ *cydon. nardin. maſtich.* a. ʒiij.
ſpec. arom. roſ. ladani a. ℈j.
ℴℴ *nuciſt.* ℈ß. *caryoph.* ℌ*t.* gt. iv. M. c. *paucâ cerâ* F. linim.
S. Magen Salbe.

Hart.

Hartmannus valdè commendat *emplaſtrum*, è *theriacâ vet.* & *terrâ ſigillatâ* paratum; Ad id quoque facit *ungv. comitiſſæ.*

Emplaſtra alia roborantia proſunt, ut *diaphœnicum*, *ſtypticum Mynſ. de cruſtâ panis*, *maſtichin. cerotum ſtomachicum Auguſtan.* quæ omnia cum oleis convenientibus malaxata ventriculo, vel abdomini imponenda ſunt.

Cataplaſmata, ſacculi & fomenta utiliter quoque in uſum trahi queunt.

℞. *pulv. menth.* ʒij. *nuc. moſch.*
caryoph. cort. citr. Zedoar. ã. ʒj.
fermenti mj. 🜕 *roſat.* q. ſ. M. applicetur linteamine exceptum.

℞. *roſ. rub. abſinth. abrot. artemiſ.*
menth. criſp. ſumm. lupul. ã. mij.
bacc. laur. ſem. cumin. ã. ℥j.
calam. arom. galang. Zedoar. ã. ℥ß.
caryoph. ʒij. Inc. & cont. F. 2. ſacculi pyramidales interpaſſati S. Magen=Säcklein.

Ano applicantur non rarò externa, tum ad demulcendas partes acrimoniâ humorum afflictas, tùm ad teneſmum, ſi accedat. Sic *ſuffimentum de verbaſco Mynſichti* multum hîc quoque præſtare poteſt, quòd & *Riverius* magnis extollit laudibus; Item ſuffitus ex *thure*, *ladano*, *maſtiche* facti multum conferre poſſunt, v.g.

℞. *fl. verbaſc.* piij. *maſtich.* ʒj.
thur. ſtyr. calam. ladan. terebinth. ad dur. coct. ã. ℈ij.
roſ. rub. ℈j. M. F. l. a. pulvis pro ſuffimigio; fumus excipiatur ano in ſellâ perforatâ.

Sic & commendari ſolet ſpongia aquâ calente madefacta & expreſſa, ano impoſita, ut quæ vapore ſuo eum adjuvat; nec non lanæ 🝆 imbutæ, anoque ſubjectæ. *Quidam conyzam* externè per infundibulum ſuffumigatam commendant. *Alii* plantis pedum panem toſtum 🜕 *roſaceo* irrigatum applicant.

Sub noctem pedes in lixivio, & vino, incoctâ ſalviâ, lavare calidè juſſit *Platerus l. 3. obſ.* repetitis vicibus, ſi ſedes nondum remiſerint.

Bal-

Balnea tandem hic memoranda, quibus tamen circumſpectè utendum, in diuturnioribus potiſſimum alvi profluviis. In fluxu pituitoſo, balnea 🜔ea juvant, in bilioſâ ferrea & aluminoſa, referente *Mercato l. c. cap. 11.* Alii balneum ex ☽ absque oleo convenire ſcribunt. Semicupium tepidum tanquam expertum commendat *Riverius obſ. 59. cent. 2.*

CAPUT ULTIMUM.

De Diæta.

QUemadmodum DIÆTÆ errores plerumque diarrhœæ fons & origo ſunt, ita vice verſâ bona diætæ ratio ſæpè ſola omne curationis punctum abſolvit. Triplex ea conſtitui poteſt: NATURALIS, VITALIS, ANIMALIS.

In NATURALI CIBI *ratione qualitatis*, ſint boni ſucci, facilisq; coctionis, initio quidem vi pollentes abſterſoriâ, ut jubet *Timæus l. 3. Caſ. 15.* poſteà verò adſtringentes; *ratione quantitatis*, pauci vel moderati.

Panis, ceu fundamentum reliquorum, ſit bonæ notæ. Bis coctus, 🜄o irrigatus, exſiccatus, in pulverem redactus, & juſculis inſperſus etiam convenit. *Carnes* conferunt aſſæ potius quàm elixæ.

Ex avibus montanæ & ſylveſtres præcipuè eligantur, ut merulæ, turdi, perdices, turtures, & columbæ; ex domeſticis autem gallinarum pulli. *Pultes* ex milio & oryzâ, cum lacte paratæ, ſeſe pariter commendant. Ex medicamentoſis laudantur pulpa cydoniorum, cydonia cocta, rob eorundem, ſorba immatura. Quantum emolumentum præſtent in alvi profluvio meſpila immatura, latius videri poteſt elegantiſſimus locus apud *Foreſtum lib. 22. obſ. 1.* ubi inter alia refert ægrum, cum nullis aliis medicamentis curari potuiſſet, tandem meſpilis comeſtis convaluiſſe, & medico trecentos aureos pro ſolâ meſpilorum præſcriptione numerâſſe. Decoctum meſpilorum inſignis efficaciæ æſtimatur à *Jonſtono.* Ova ſorbi-

lia cum *pulvere diatragac.* commendari ſolent. De vitellis ovorum jam ſupra *Helmontium* citavimus.

Potus, quantitate ſit modicus, ne in ventriculo fluitet, ex præſcripto *Hollerii l. 1. c. 42. qualitate*, nec ſemper frigidus, nec ſemper calidus conducit, licet hic ventriculo, ille ſiti magis conveniat. Inflammatis verò inteſtinis frigidus nocet, vid. *Septal. l. 7. animadverſ. §. 88.* Cereviſia benè ſit defæcata, non recens, medicari poteſt pane toſto, cum *nuc. moſch.* aromatiſato, vel pulvere ſiliquæ. Vinum rubrum ſtypticum, vel cum *ſucco*, aut *ſirupo mali punici, citri, ribes, berberis* alteratum, ſi modò febris abſit, locum habet; generoſum planè vetat *Rondeletius*, aſt ad vires reficiendas parcâ manu datum concedi poteſt. Vinum abſinthio, cardiacis, & adſtringentibus temperatum commendat *Platerus l. c.* ut & *Bartholinus cent. 2. hiſt. anat. 65.*

Lac caprillum abſente febre, in quo ferrum candens, vel ☉bis terve ſit extinctum, concedit *Gvainerus, Platerus*, ut & *Borellus cent. 2. obſ. 40.* Ubi verò adeſt febris, lactis uſus eſt vitandus, juxta *Hipp. 5. aph. 64.*

Rectè verò vitanda præcipit *Septal. l. c. § 86.* pinguia, ne laxitas ventriculi & inteſtinorum nimia procuretur, alvique fluor adaugeatur. Fugienda quoque tubera, fungi, ſaccharata nimis & dulcia, item diſſimilis & varius victus. Τὰ γὰρ ἀνόμοια ϛασιάζει, *diſſimilia enim ſeditionem excitant.*

In VITALI *Aer* ſit calidus vel temperatus; Frigidus verò vitetur, cùm diarrhœam magis promoveat, & ventriculi coctionem lædat. Odoramenta, mala cotonea, & ſimilia naribus admovere jubet *Aetius.*

Animi affectus coercendi. Terror & mœror præ omnibus cane pejus & angue fugiendi, potius hilaritate permutentur; ab irâ, ne acriorum humorum efferveſcentia excitetur, ſibi quoque caveant ægri.

In ANIMALI, *ὕπνος ἀρηγὸς, ſomnus*, ab *Avicennâ* commendatus, *auxilio eſt*, quo ſolo curationem profluviorum abſolvi poſſe ſcribunt Autores, hinc omnium maximè ſomno & *quieti* indulgendum eſt, à quâcunque causâ oriatur affectus,

præci-

præcipuè cum ſomnus omnes ſoleat ſiſtere fluxiones, excepto ſudore. *Vigiliæ* nimiæ omni modo excludendæ, cum fortis vigilia cibos crudos & incoctos reddat, teſte *Hipp. l. 2. de rat. victus in acutis*. Vitetur multa deambulatio & *motus*.

Venus an conveniat, quæri poteſt, ea enim ſecundum *Coum l. 7. epid. ſ. 5. t. 25.* τὰ κατὰ τὴν γαστέρα σκληρύνει, *ea, quæ in ventre continentur, indurat.* Conſultius eſt abſtinere, licet interdum per accidens ſuſtuliſſe viſa fuerit alvi profluvium, ſi vires validæ, & affectus alius non adſit, de quo videri poteſt *Mercur. Tom. 4. Conſ. 11.*

Τῷ θεῷ δόξα.

Clariſſime DORMERE,

DIgnum laude facis, ſtadium irrequiete labore
currere dum pergis, rectà Virtutis ad ædem:
Perge ita, ceu pergis; Condigna [brabea ſequentur.

εὐχαίρων adjecit

Rudolphus Wilhelmus Krauß/
Phil. & Med. D. Prof. Publ.

B*Ellum inteſtinum ſub fluxu ſiſtitur alvi:*
non ſecura via eſt, hinc illinc curſitat humor
hoſtilis, leges ſpernit, ciet ipſe tumultus,
quà data porta ruens, exploſo hinc agmine toto.

I, cathedram conſcende, & fauſtam conſere pugnam,
Bellator felix! Te præmia digna manebunt.

Clariſſimo Domino Doctorando,

honores, quos ambit, meritos ex animo gratulatur, & felices ominatur

PRÆSES.

SIc patriæ vixiſſe juvat, ſic gaudia patris
ſurgunt; ex voto ſic tibi creſcat honos!

Nobiliſſimo, Clariſſimoque
Dn. Doctorando,
Auditori hactenus ſuo exoptatiſſimo,
Fautori obſervando,

De novis honoribus gratulabundus adponebat

Auguſtinus Henricus Faſchius, D.
Archiater Ducalis Saxonicus
& Prof. Publ.